



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divus Stanislaus Kostka S.I.**

**Callenberg, Caspar**

**Neuhusii, 1716**

Iconismus 11mus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69536](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69536)

Debuerant gemina velli radicibus ala :

Ad mala sic factus tardior, iret Amor,

7. Parergon morale : quis sit lectissimus?  
Esse Vir, aut Juvenis, quisquis lectissimus optas,  
Cum Kostka lectum negliges; talis eris.

## ICONISMUS IIMUS.

Repræsentat Stanislaum à Paulo Fratrem Pie-  
tatis & modestiæ causâ, variè vexatum:

Epigraphæ supra Stanislaum :

NIMIS SEVERVS CREDERIS ESSE NESCIENTL,  
Sidonius in laude Narbon. Urbis.

Epigraphæ supra Paulum : EXARDESCET CON-  
TRA EVM, Job. 18. 9.

Epigram.

Credite Nasoni : Fratrum quoque gratia rara,  
Rara fuit Pauli gratia; nulla fuit.

Rara Stanislai: fustes & verbera pensat  
Officiis; rarâ rarior illa fuit.

2. Ad Stanislaum pietatis causâ vexatum.

Sacratas it Kostka frequens ad Numinis ædes,  
Ut litet æterno Vota, precésq; Deo.

Absentem Frater queritur, reducémq; flagellat  
Verbis, ceu magnum, verberibúq; reum.

O sanctum puerum! summum si templa subire  
(Quod pietas aliis) sit tibi Kostka scelus.

3. De

3. De Eodem ad Paulum Fratrem.

*Gymnasium duplex studiosus Kostka frequentat,*

*Gymnasiumq; foris, Gymnasiumq; domi.*

*Gymnasium Spartana domi Patientia pandit:*

*Hoc in Gymnasio Paule Professor eras.*

*Verbis activis & deponentibus usus,*

*Quanta tuum fratrem Doctor acerbe doces!*

*Multa quidem didicit frater te Paule Magistro,*

*Declinare tamen Verbera non didicit.*

4. Ad Eundem.

*Virtutem didicit frater te Paule Magistro;*

*Ergò, quod nescis, Paule stupende, doces.*

*Ergò qui cecinit quondam; nunc Naso recanter:*

*Quòdq; parùm novit, nemo docere potest. Ovid.*

5. Ad Eundem.

*Virtutem Fratris toties cùm Paule probâris;*

*Virtutum Cos es? Lydius ànne lapis?*

6. Ad Eundem Fratri omnino dissimilem.

*Mundus amor Pauli; Pauli spes unica Mundus;*

*Summa Stanislao nausea Mundus erat.*

*Cùm sit tanta tibi morum discordia Paule,*

*Esne Stanislai frater, an antitheton?*

*Cùm sit tanta tibi morum discordia Paule?*

*Verè frater eras illius; alter eras.*

*NB. Frater enim quasi ferè alter. Calepinus!*